

*Corpora; Natura leges & fœdera vincens:
Mutabit species, pauperum atemque fugabit.*

Theodor. Auro, Aureli, inhias, turpiq; indulges avaritiæ.
O quantum mortalia pectora ludis.

Auri sacra fames!

Poetatur Palingenius; fabulantur, ac ludunt suo more, falluntur ac fallunt Philosophastri metallici, auripetæ, auriperdæ, vagabundi, fugitivi, famelici, fumivenduli: qui in tincturis aut lucrum immensum inesse adseverant; & frustra hiante semper ore, cum Tantalò illo.

Poma fugacia captant: ut Nasonis utar verbis.

De prima
Dialogi
parte.

Est aliud quidpiam, mi Aureli, quod literarum cultoribus, fautoribusque commendo; auro cunctisque mundi thesauris, atque adeo omni precio preciosius.

Aurel. Quidnam illud, mi Theodore?

I.
Aurum
Medicum
quid.

Theod. *Aurum Medicum Philosophorum*, seu sapientiæ candidatorum, voco illum rerum medicarum, omnium Mineralium, Vegetabilium, & Animalium corporum; omnium acidularum, thermarum, bolorum, ut vocant metallarium, cultum, salutarem, Solaremq; spiritum, Balsamum, seu Sulphur Vivificum, Cardiacum, & maxime alexiterium, bezoarticum, theriacale: Quod sanitatem cum primis conservat, & corporis nostri tum partes, tum humores, à corruptione & purredine vindicat ac tuetur.

Aurel. Euge, mi Theodore, rem plane novam, & hactenus ferme inauditam audio. Sed quare tu balsamum illud rerum Medicarum Solare, Aurum nuncupas?

Theod. Aurum, quod propria quadam vi attractrice, & quasi magnetica, atque sympathetica pollet, qua intuentium animos, ut ab ipsis illico desideretur, allicit; Medici omnes ante omnia probant, tanquam omnium rerum temperatissimum, & maxime conforme in temperamento humanæ naturæ, & à corruptione tutissimum. De quo Levinus Lemnius: Aurum (scilicet commode præparatum) præcipuis membris robur conciliat, ac facultates nativas firmat. *Nam si quid mali internis partibus adhaferit, consumit, abolet, depascitur; partemq; adfectam & morbidam, vigore ac vitali Spiritu imbuit.*

Auri vi-
res.

Aurum igitur omnium consensu, calorem naturalem cum humore æqualiter temperat, humores à corruptione conservat; ac Solare, & vivificum, Spiritibus, & membris, ac præcipue cordi inserit, atque imprimat vigorem. Facile enim in tota corporis arbore servabitur virtus nativa & ingenita, si in radice conservabitur, ut loquuntur Medici, Sed

See